legiũ, & cętera eiuſmodi expiraſſe, eo quod inſidelium conuerſio [pro qua cõceſſa ſunt] iam eſt peracta. Cum claris & apertis verbis in priuilegio concedatur, hanc omnimodam poteſtatem tantam concedi : quantam ipſi prælati viderint expedientem, non tantũ ad conuerſionem Indorum, ſed etiam ad manutentionem & ad profectum illorum in fide Catholica, & obedientia S. Romanę Eccleſię. Sed profectus in fide intelligitur poſt fidem ſuſceptam, & non habet finem in ipſa conuerſione, ſed eſt cõtinuus progreſſus: manet ergo hoc priuilegium in ſua vi & robore, vſq; dum per Sedem Apoſtolicam fuerit reuocatum.

21 ¶ 4. Aduertendũ eſt, quod iudicare de omnimoda auctoritate, quanta ſit, & quàm expediens, & opportuna pro cõuerſione, manutẽtione, & profectu nouiter conuerſorum, non relinquitur Epiſcoporum, aut Archiepiſcoporum iudicio & examini : nedum aliorum cenſurę, ſed ſolum iudicio ipſorum pręlatorum ſuperiorũ ordinum Mendicantium, vt illa poſsint vti auctoritate omnimoda, quantam ipſi iudicauerint, & non dicit iudicauerint neceſſariam, ſed expedientem [addit] & oppor